

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Commentatio Theologica Ad Qvæstionem LXXX.  
Catechismi Palatini**

**Gebhardi, Brandanus Heinrich**

**Gryphiswaldiæ, [MDCCXX?]**

**VD18 10460977**

Pars II. Sententia Reformatorum de Missa Pontificia.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17180**

## PARS II.

*Sententia Reformatorum de Missa  
Pontifica.*

## §. I.

**H**AECENUS REFORMATORUM sententiam de *Eucharistie* *sacramento* vidimus. Pergimus ad alteram qvæstionis catecheticæ partem, qva sententiam suam de **PONTIFICIORUM MISSA** exhibent.

## §. II.

Pontificium Eucharistiae usum Catechismus vocat **MISSAM**. De origine hujus vocis diversæ sunt eruditorum sententiæ. PONTIFICII olim in *Ebraæ* lingua natales ejus qværebant, à **מִזְבֵּחַ** *altari* derivantes, ut aliquod simul fundamentum haberent erroris sui de sacrificio proprie dicto, in altari proprie dicto offerendo. Merito has adversariorum ineptias ridet APOLOGIA A. C. p. 430. utqve eo magis illos ignorantiae convincat, aliud nomen Hebræum affert, nempe **הָמָס**, cuius constr. extat *Deut. XVI. 10. collationes*, seu *munera populi* significans, unde itaqve eucharistiam Missæ nomen traxisse, majori veritatis specie dici possit, eo qvod singuli, ad sacram synaxin convenientes, panem, vinum aliaqve necessaria attulerint: qvorum pars consecrata fuerit, reliquum pauperibus distributum. Ipsa tamen hujusmodi nugis, ut ait, non vult inhærere. Conf. LUTHERUS wieder die himmlischen Propheten / pag. m. 50. a. CHEMNITIUS in *Exam. fol. 487.* præeuntem habens LUTHERUM, ex *Dan. XI. 38.* adfert Ebr. **מִזְבֵּחַ**, unde Missa dicta sit, eò qvod sit præsidium, monumentum, robur, firmamentum &

arx



arx regni Anti-Christi, de qua ipsi Pontificii saepius in publicis imperii conventibus protestati sint, se quidvis potius pati posse, quam Missæ sacrificium sibi eripi. Conf. ARTIC. SCHMALZ. P. 2. art. 2. pag. 307. Sed ex Ebræa lingua nomen hoc prorsus non est deducendum. Alii ex Græca derivarunt, ideo quod in scriptis Græcorum μίσα legatur de precibus vel vespertinis, vel matutinis. Est vero hæc vox non scriptorum antiquiorum, sed recentissimorum, qui vix ante 7. secula scripserunt, cum dudum vox Missæ in usu fuit. Ergo nec hæc derivatio admittenda est. Vid. CASAUBONUS l. citando, pag. 514. Rectissime vox latina esse censetur, à verbo mittere deducta. Non quidem, quasi primo Missæ aut neutro genere Missa dictum fuisset, propriè significaret oblationes, quæ vel offerebantur, vel mittebantur sacræ mensæ imponenda, quod viros quosdam eruditissimos existimat refert CASAUBONUS in Exerc. XVI. adv. Baroniūm, pag. 515. Nec, quasi missa idem sit quod remissio scil. peccatorum, per usum S. Eucharistiæ impetrata; unde finita sacra synaxi dictum sit, Ite, missa est! remissionem peccatorum consecuti estis: quod etiam significet Græcorum τοῦ λαοῖς ἀφετις. Vid. APOL. A. C. Germ. pag. 431. edit. Reineccianæ. Multominus, quasi missa idem sit quod hostia transmissa à nobis Patri, ut intercedat pro nobis ad ipsum, quemadmodum INNOCENTIUS Papa explicat apud CHEMNITIUM l. c. fol. 465. Sed dicta est à missione, vel dimissione (quæ etiam dicebatur missa, ut remissa pro remissio, juxta CASAUBONUM l. c.) populi, in V. E. usitata. Quæ duplex erat: Altera catechumenorum, quando finitis sacris lectionibus & habita concione, catechumi, ne ad adspectum quidem eucharistiæ admittendi,

E 3

dimit-



dimittebantur, Diacono è pulpito clamante, *Ite catechumeni in pace!* Altera fidelium, qvando finitis sacris omnibus, toti fidelium cœtui dimitendo Sacerdos ex altari dicebat, *Ite! missa* (missio, dimissio,) *est.* Perinde ut apud Græcos ethnicos, finita concione, præco clamat: *τοῖς λαοῖς ἀφεσί!* & apud Romanos *Ilicet!* qvo ipso potestas abeundi è judiciis dabatur. Probant hanc etymol. AUGUSTINUS *Serm. 237.* & ISIDORUS HISPAL. *L. 6. orig. c. 16.* Ex his jam apparet, turpiter se dare BARONIUM, in *Annal. ad A. 34. n. 59.* asserentem, Jacobum, fratrem Domini, *banc nomenclaturam tradidisse Jerusolymitanis: Petrum vero & Paulum Romanis.* Fundamentum qværit in Liturgia, Jacobo adscripta, hodie Græce & Latine extante, cuius latinum exemplum, nomen hoc exhibens, authenticum esse existimat. Qvæsi scil. homo Ebræus vel Syrus orientalibus populis latine scripserit, qvo certe nihil absurdius dici poterat. Taceo, jam dudum ab eruditis, RIVETO in *Crit. S. L. I. c. 3.* & PHIL. MORNÆO in *de Missa & ejus Partibus L. I. c. 2.* evictum esse, Liturgiam hanc ne quidem Jacobum agnoscere auctorem. Invenimus est hoc (Missæ) nomen circa finem, ut videtur, tertii seculi, vel paulo ante, inquit CASAUBONUS *l. c.* Minime vero idem significabat in V. E. qvod hodie Romanensibus. In V. nempe E. significabat vel *integrum cultum publicum,* lectione Scripturæ, ejusdemq; interpretatione, precibus publicis, & deniqve legitima sacræ eucharistiæ dispensatione peragendum: vel *solam Sacra Cœna dispensationem,* procul tamen omni opinione de sacrificio aliquo propitiatorio: vel deniqve *conventus ad orationes,* ut ex CASAUBONO atqve CHEMNITIO fol. 480. constat. Pontificiis vero hodie est sacrificium propitiatorium proprium dictum



dictum pro mortuis & vivis, pro peccatis, pœnis aliisq; necessitatibus corporalibus, qvod infra pluribus expōnendum. Protestantes, ut nomen hoc prorsus rejiciant, qvæ MALDONATI calumnia est, tantum abest, ut potius in ipsa A.C. art. 3. abus. compareat, at legitimam saltem significans Sacræ Cœnæ administratiōnem, juxta institutionem CHRISTI factam, non sacrificium aliquod propitiatorium. Conf. LUTHERUS wie-der die himmlischen Propheten / pag. 50. b. in collect. Pomer. Interim usus ita fert, ut hodie fere tantum de Papicola-rum eucharistiæ abusu adhibeatur, qvemadmodum etiam Catholici nomen Romanæ sectæ tribuitur. Et hunc usum Catechismus seqvitur, qvod certe Palatini haud ægre ferent. Hæc de nomine.

## §. III.

Qvod ad rem ipsam attinet, seu ritū celebrationis Missæ, audiamus SLEIDANUM in Comm. de Statu religionis &c. Lib. 21. pag. m. 673. ubi, de restaurato Argentorati Missæ spectaculo agens, refert, qvam variis super panem & vinum eucharistiæ gestibus, motibus & actibus utatur sacrificulus. Sacrificum, inquit, raso vertice, novoque vestitus genere indutum, adstante cum ministris ad aram, pronunciare omnia sermone peregrino, variis uti geniculationibus atq; gestibus, inclinari strictis manibus, modo distendere, modo reducere brachia, subinde sese convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio qvædam demurmurare, suspicere in altum, esse prouum, consistere non uno loco, nunc in dextram, nunc in levam partem altaris commigrare, micare digitis, inhalare in (panem &) cali-cem, eumque (eaq;e) tollere in sublime, postea reponere, certis locis nominare nunc vivos, nunc mortuos, panem azymum fran-gere & in calicem immittere, pectus ferire pugno, suspirare,

clausis

clausis oculis representare somnum, rursus exergisci, manducare (solum) partem unam panis, alteram (iterum solum) haurire cum vino totam, ne quia guttula remaneat, ablucere manus, patellam deauratam aversum extenso brachio demonstrare populo, admovere eandem fronti atque pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam, materia vel metallo inclusam. Juxta INNOCENTIUM, Papam, & DURANDUM Missa quatuor rebus absolvitur, personis, operibus, verbis & rebus. Personæ sunt celebrantes, ministrantes & circumstantes. Opera sunt gestus, actus & motus. Verba sunt orationes, modulationes & lectiones. Res sunt ornamenta & instrumenta & elementa. Plenior rituum Missæ notitia ex ipso *Misali Romano* haurienda est. Atque tota hac actione gestuum, verborum, rituum & vestium statuunt Pontificii, representari oblationem passionis CHRISTI, & hac representatione ipsum CHRISTUM, vi transubstantiationis sub speciebus panis & vini latenter, denuo offerri in odorem suavitatis DEO Patri. Hinc ECCIUS Missam vocat vividam & solennem representationem passionis CHRISTI, per singulas ejus partes, coram DEO, ita, ut in hac actione gestuum, rituum, vestium, verborum, corpus & sanguis CHRISTI, imo CHRISTUS ipse Filius DEI, denuo vere & proprie sacrificetur & offeratur DEO Patri. Vid. CEMNITIUS l.c. fol. 462. 463.

## §. IV.

Jam, quid de histriónico hoc spectaculo, & in primis Pontificiorum opinione, sentiat Catechismus, videntur est. Duplex fert judicium. (1) Missam vere esse abnegationem unici sacrificii & passionis JESU CHRISTI. (2) Illam esse abominandam idolatriam. Primo, inquam, statuit:



Statuit : Missam esse abnegationem unici sacrificii & passionis JESU CHRISTI. Probat hoc inde, qvod tantam Missam necessitatem atque efficaciam singant PONTIFICII, ut neq; vivis, neq; mortuis peccatorum remissio per CHRISTI passionem obtingat, nisi quotidie CHRISTUS pro illis sacrificetur manu sacrificuli. Idem de Missa judicium fert nostra ecclesia. Vid. APOL. A. C. pag. 264. 266. 272. 275. 276. ARTIC. SCHMALK. pag. 305. 306. 308. 309. 310. Et hæc una ex præcipuis causis est infensi atque inimici animi Pontificiorum in Catechismum Palatinum. In CONCILIO enim TRIDENT. jam decreverunt : *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo CHRISTI sacrificio, in cruce peracto, per Missam sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit, apud CHEMNITIUM fol. 460.* Ut ergo appareat, nullam Pontificiis fieri injuriam, videamus (a) illud, qvod rationis loco adfert catechismus, vere defendi à Pontificiis. (b) consequentiā inde deductam omnino recte sese habere. Qvod itaque ad prius attinet, tria demonstranda sunt. (1) Pontificios Missam habere pro sacrificio proprie dicto : (2) & qvidem propitiatorio ac impetratorio : & (3) tantæ necessitatis & efficaciæ, ut sine eo neque vivi, neque mortui per CHRISTI passionem peccatorum remissionem obtinere possint. Hæc enim sunt, qvæ probationis loco adfert Catechismus. (1) itaque Pontificios Missam vere habere pro *sacrificio proprie dicto*, quo CHRISTUS quotidie manu sacrifici in ara proprie dicta mactetur, (sine tamen effusione sanguinis, unde *incruentum sacrificium* vocant,) & Patri cœlesti in orem svavitatis per modum victimæ offeratur, confirmatione vix indiget. In CONC. TRID. Sess. 6. can. 1. inquit : *Si quis dixerit, in Missa non offerri DEO verum &*

F

pro-



proprium sacrificium : aut, quod offerri non sit aliud, quam nobis CHRISTUM ad manducandum dari, anathema sit. Dicunt ibidem fol. 459. Missam esse verum & singulare, item visibile sacrificium, quo CHRISTUS per sacerdotem sub signis visibilibus immoletur. Dicunt: In divino hoc sacrificio, quod in Missa per agitur, eundem illum CHRISTUM contineri & incruente immoleti, qui in ara crucis semel seipsum cruentem obtulit. Unam eandemque in ara crucis & lapidea Pontificiorum esse hostiam, eundemque offerentem principalem CHRISTUM, in ara crucis in persona sua, hodie sacerdotum ministerio: solam offerendi rationem diversam esse. Qvæ diversitas in eo consistit, quod olim cruentum fuerit, nunc incruentum sit sacrificium: quod CHRISTUS dixerit H. E. C. M. sacerdos dicat: Hoc est corpus CHRISTI. (II) Pontificios Missam habere pro sacrificio propitiatorio & impetratorio, luce meridiana clarius est. Apud CHEMNITIUM l. c. fol. 460. docet sancta Synodus, (Tridentina,) sacrificium illud vere propitiatorium esse. Dicunt ibid. Patres: bujus oblatione placatum Dominum, gratiam & donum pœnitentiae concedentem, crimina & peccata etiam ingentia dimittere. Imo, non tantum peccatorum remissionem statuunt fructum esse Missæ, sed dicunt etiam, rite juxta Apostolorum traditionem CHRISTUM offerri pro pœnis, pro satisfactionibus DEO à nobis prestandis, aliisque necessitatibus impetrandis: mercatoribus nempe, ut felix sit negotiatio, venatoribus, ut felix sit venatio. Vid. APOL. A. C. pag. 266. Statuunt, Missam non tantum prodefesse sumentibus, sed etiam aliis absentibus, vivis & mortuis, in purgatorio nondum plene purgatis. Ita sonant verba Sess. 6. Cap. 2. apud CHEMNITIUM f. 460. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in CHRISTO, nondum



dum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur. Et Can. 3. statuunt: Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut per nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorum, vel soli prodeesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerre debere, anathema sit. In Canone Missæ orat sacrificus: Offerimus tibi hoc sacrificium pro redēctione animarum, pro spe salutis & incolumentatis. Hanc oblationem placatus accipias, diesque nostros in pace tua disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari, in Missali Rom. fol. 270. Et tandem Canon ita concluditur: Hoc sacrificium, quod obtuli, sit tibi acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiable. In Missali Rom. Cap. de Ordine Missæ, alia est sacerdotis oratio: Suscipe sancte Pater omnipotens, æterne DEUS, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi DEO meo vivo & vero, pro innumerabilibus peccatis & offenditionibus, & negligentiis meis, & pro omnibus circumstantibus; sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mibi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen. (III) denique Pontificios asserere: neque vivis, neque mortuis per passionem CHRISTI obtingere remissionem peccatorum, nisi CHRISTUS denuo in sacrificio Missæ immoleatur, itidem verissimum est. Quando nempe olim statuerunt THOMAS, AMBROS. CATHAR. VEGAS & TAPPERUS, CHRISTUM sua passione in ara crucis tantum satisfecisse pro peccato originis, Missam vero à DEO institutam esse, ut in ea fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus, referentibus A. C. art. 3. abus. pag. 24. APOL. A. C. pag. 265. & SCHERZERO in Syst. pag. 211. quid hoc aliud est,

F 2

quam,



quam, ut plenariam peccatorum remissionem obtineat peccator, præter passionem CHRISTI reqviri etiam sacrificium Missæ? In CONC. TRID. statuunt: *Per sacrificium Missæ incruentum non tantum cruentum illud, semel in aræ crucis peractum, repræsentari, ejusq; memoriam in finem usque seculi permanere; sed etiam illius salutarem virtutem in remissionem eorum, q; à nobis quotidianie committuntur, peccatorum, applicari:* apud CHEMNITIUM pag. 459. Et porro: *Cruenta oblationis fructum per incruentam uberrime percipi,* fol. 460. His itaq; verbis manifeste docent, novo quotidianio opus esse sacrificio CHRISTI, ut homines remissionem peccatorum obtineant. Qvis vero, æqua animi trutinā hæc omnia βδελύματα ponderans, non intelligit, rectissime de Missa Pontificia judicasse Catechismum Reform. *eam esse abnegationem unici sacrificii & passionis JESU CHRISTI?* Minime qvidem hoc admittunt Papistæ, dicentes, tantum abesse, ut satisfactioni CHRISTI per Missam q;ovis modo derogetur, ut potius illius fructus per banc uberrime percipiatur, apud CHEMNITIUM fol. 460. Sed protestatio facto ipsi contraria est. Non hoc saltem est abnegare unicum sacrificium & passionem CHRISTI, si qvis negat ipsam historiam passionis, aut ejus finem, nempe satisfactionem; vel, si utrumq; concedit, non tamen sibi ad salutem eam vult applicare: Sed hoc etiam est abnegare, (a) qvando unico sacrificio CHRISTI cruento non tantam virtutem & efficaciam tribuimus, qvanta ei juxta scripturam competit; & (β) qvando præter hoc unicum sacrificium cruentum & passionem CHRISTI aliud adhuc sacrificium fingimus, à quo idem fructus sit expectandus, gratia nempe DEI & remissio peccatorum. Jam, qvod ad (a) attinet,

Scri-



Scriptura docet, cruenti sacrificii CHRISTI infinitam esse virtutem, valere illud pro omnib<sup>9</sup> hominib<sup>9</sup>, *i. Tim.* IV. 10. *i. Job.* II. 2. & peccatis, tam originali, qvam actualibus qvibuscunqve, *i. Job.* I. 7. & poenitentia, tam æternis, qvam temporalibus, *Iesu. LIII. 4. 5. Matth. VIII. 17.* Pontificiorum vero Missa revera finitam saltem virtutem sacrificio CHRISTI cruento relinqvit, cum statuunt, CHRISTUM non satisfecisse pro peccatis actualibus, utpote pro qvibus in Missa fiat oblatio. Sed accipe & hoc argumentum. Qvod sacrificium repetitur, finitum est, *Ebr. X. 1. 11.* Atqvi sacrificium CHRISTI cruentum in incruento Missatico ex Pontificiorum hypothesi repetitur. Ergo illud finitum est. Vides, Pontificiorum Missam detrahere virtuti passionis CHRISTI, ideoqve vere esse abnegationem ejus. Qvod ad ( $\beta$ ) attinet, Scriptura docet: *CHRISTUM sacrificatum sanguine suo proprio semel ingressum esse in sancta, eoqve æternam redemtionem invenisse, Ebr. IX. 12. Semel sub consummationem seculorum, ad profligationem peccati, per immolationem sui ipsius apparuise, Ebr. IX. 26. Nos sanctificatos esse per oblationem corporis j. C. semel factam, Ebr. X. 10. Unica cruenta oblatione CHRISTUM perfectos effecisse in perpetuum eos, qui sanctificantur, ut itaqve saepius repetitis oblationibus incruentis pro iis sanctificandis non sit opus, v. 14.* Hoc certe, qvod CHRISTUS non amplius debeat tanquam sacrificium propitiatorium immolari, DEOqve offerri, ex Paulo clarissimum est, qvi hoc ipso CHRISTUM opponit Pontifici V. T. cui quotidie necesse fuit sacrificare, easdemqve saeppe offerre hostias, qvod CHRISTUS, sacerdos in æternum consummatus, semel fecit: qvi porro post unicum sacrificium cruentum CHRISTUM

F 3

dicit



dicit non amplius cœlo descendere, in altari manibus sacerdotis maſtandum DEOqve offerendum; sed perpetuo federe ad dextram DEI, id qvod supereſt expeſtantem, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum ejus. Vid. *Ebr. VII. 27. IX. 25. 27. 28. X. 12. 13. 14. 18.* At Pontificii non ſunt contenti hoc unico ſacrificio cruento, ad ſalutem hominum æternam promovendam; ſed ei aliud adjungunt, nempe incrumentum, qvo CHRISTUS ſe iſum, partim jam *ante paſſionem ſuam*, in S. Eucharistiæ & Miflæ institutione, *propriis manibus DEO Patri obtuliffe*, juxta CONC. TRID. apud CHEMNIT. fol. 459. partim adhuc hodie in qvotidianis missis, tanquam principalis ſacerdos, manib⁹ ſacrificuli ſe offerre dicitur. Vid. BECANUS l.c.p. 301. Atq; ex hoc ſacrificio incruento eisdem expeſtant fructus, qvi ſunt ſacrificii cruenti, nempe gratiam DEI, donum pœnitentiæ, remiſſionem peccatorum & pœnarum &c. Hinc enim vocant impeſtratorium & propitiatorium : qvod tamen absurdissimum eſt, ob *Ebr. IX. 22.* Ergone vero Missa vere eſt abnegatio unici ſacrificii & paſſionis CHRISTI ? Nihil juvat Pontificios, qvod excipient, per Miflæ ſacrificium non *acq'iri* remiſſionem peccatorum, id qvod ſacrificii cruenti effectus ſit, ſed *applicari* ſaltem. Vid. BECANUS l.c. pag. 322. Respondemus enim : Juxta Scripturam media applicandæ remiſſionis peccatorum ex parte DEI eſſe Verbum & legitimum uſum Sacramentorum, ex parte hominis ſolam fidem : Scripturam unicum ſaltem agnoscere ſacrificium propitiatorium, per qvod homines gratiam DEI & remiſſionem peccatorum obtinent.. Qvicunq; ergo aliud fingit propitiatorium ſacrificium, ad remiſſionem peccatorum obtinendam neces-



necessarium, (sive de cætero eam acqvirat, sive applicet, perinde est.) ille injurius est in unicum sacrificium CHRISTI.

## §. V.

Alterum Catechismi judicium est: *Missam abomina-*  
*nandam esse idololatriam.* Probat inde, qvod statuant  
 Pontificii, *CHRISTUM corporaliter esse sub specie panis & vini,*  
*& proinde in illis adorandum esse.* Nostra qvoqe ecclesia,  
 Missam idololatricum cultum esse, pronuntiat. Hinc  
 in APOL. A. C. pag. 275. Missaticum sacrificium vocatur  
*cultus Baaliticus.* Et hæc altera causa est odii Pontificii  
 in Catechismum. Ita enim in CONC. TRID. apud  
 CHEMNITIUM fol. 384. statuunt: *Si quis dixerit, in sancto*  
*eucharistie sacramento CHRISTUM non esse adorandum, ejusque*  
*adoratores esse idololatras, anathema sit.* Ut ergo hic qvoqe  
 appareat, nullam Pontificiis fieri injuriam, videamus  
 iterum ( $\alpha$ ) qvæ Catechismus probationis loco adfert,  
 vere defendi à Pontificiis; ( $\beta$ ) consequentiam, inde  
 deductam, omnino recte se habere. Primo itaqe Cate-  
 chismus probationis loco adfert, qvod Pontificii statu-  
 ant, *CHRISTUM sub speciebus panis & vini corporaliter adesse.*  
 Phrasis hæc dupli modo intelligi potest. ( $\text{I}$ ) enim  
 vocab. *speciei* sumitur vel *logice*, qvatenus generi oppo-  
 nitur, & notat substantiam ipsam panis & vini, in  
 distinctione ad alias cibi & potus species. Germ. effer-  
 res: Unter dieser Art Speise und Trank / so da ist  
 Brodt und Wein; qvemadmodum etiam dicimus spe-  
 ciem hominis, speciem bruti, speciem lapidis, & Gen. L.  
 omnia creata esse dicuntur secundum species suas: vel  
 sumitur grammatico, qvatenus ipsi substantiæ rei oppo-  
 nitur, & notat externam figuram, phantasma, acci-  
 dentia



dentia panis & vini, ipsa rerum substantia disparens & in nihilum abeunte. (2) Voc. corporaliter adhibetur vel de re & substantia presente, atq[ue] de organo mandationis & bibitionis, ita, ut CHRISTUS substantia corporis & sanguinis sui sub pane & vino praesens sit, atque ore corporis manducetur & bibatur: Qva ratione corporaliter adesse & sumi, idem erit, quod realiter, substancialiter adesse, & ore corporis sumi: vel adhibetur de modo praesentiæ & mandationis atque bibitionis. Et hoc quidem iterum vel *salva manente substantia symbolorum*, ut sensus sit, substantiam CHRISTI sub & in vero integroq[ue] pane & vino, per modum alijs corporis naturalis & physici localiter, naturaliter, carnaliter præsentem esse, crassoq[ue], carnali, naturali & Caper-naitico modo, una cum integro vero pane & vino manducari & bibi, ita, ut dentibus laceretur, in ventriculum dejiciatur, in chylum vertatur, &c. quem sensum nobis sine ratione affingunt Reformati: vel *destructa substantia* panis & vini, ut sensus sit, substantiam panis & vini conversam & mutatam esse in substantiam C. & S. C. ideoq[ue] præter accidentia & externam figuram nihil nisi ipsum C. & S. C. adesse & sumi. Si priori modo phrasis hæc intelligeretur, quemadmodum nostra ecclesia vocab. *speciei* & *corporaliter* intelligit, male inde catechismus inferret idolatriam. Sed Pontificii posteriori sensu voces has accipiunt, statuentes, per consecrationem substantiam panis & vini mutatam esse in substantiam C. & S. C. ita, ut jam in S. C. non adsit amplius verus panis & verum vinum, sed externa saltem figura & accidentia, sub quibus C. & S. C. lateant & accipiantur. Et hoc *Transubstantiationem* vocant. Ita CONCIL.  
TRID.



TRID. apud CHEMNITIUM, fol. 373. Quoniam CHRISTUS redemptor noster, corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dicit, ideo persuasum semper in ecclesia DEI fuit, idque nunc denuo sancta bec synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis CHRISTI Domini nostri, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus: quæ conversione convenienter & proprie à sancta catholica ecclesia transubstantiatio est appellata. Item: Si quis dixerit, in sacro sancto eucharistie sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini JESU CHRISTI, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit. Hinc fluunt ineptissimæ controversiæ de mure hostiam arrodente vel comedente, de sue eam devorante, de hostia in cloacam conjecta, de hostia venenata, de hostia in vermis conversa, de calice venenato, de vermis venenosis in calice, de stercore calici immisso, ubi statuunt Pontificii, vel certe non possunt non statuere, hæc omnia ipsi C. & S. C. accidere. Vid. TRIEBECHOVIVS de Doctoribus Scholasticis, pag. 71. seq. HOLDERI Mus exenteratus, SCHERZERI Anti-Bellarum. pag 531. B. J. F. MAYERI nostri Disp. de Hostiis & Calice venenatis: deniq; controversia de hostia furto ablata, quod iterum ipsi CHRISTO accidere ut statuant, neesse est. Vid. J. L. FABRICII Disp. de Sacramenti venerabilis miserabili eheu! casu, quod aliquoties furto ablatum preda factum fuit. Fluunt hinc portentosæ locutiones, Filium DEI in manibus sacerdotum, veluti in utero virginis, incarnari, CHRISTUM in eucharistia mediante

G

sacer-



sacerdote creari. Qvibus omnibus Scriptura eviden-  
tissime contradicit, qvæ illud, qvod nobis communicat  
(de voc. κοινωνία significat. activa vid. Ebr. XIII. 16.) corpus  
**CHRISTI**, sacram scil. hostiam, etiam post consecratio-  
nem, in ipsa fractione sive distributione, imo etiam post  
manducationem, *panem* vocat, non *accidentia panis*, i. Cor.  
X. 16. 17. Conf. S. DEYLINGII Obs. S. P. I. obs. 42. p. 169. Taceo  
alia argumenta, in scriptis Theologorum passim obvia.  
Jam porro Catechismus probationis loco adfert, qvod  
Pontificii statuant, *CHRISTUM in speciebus panis & vini*  
*adorandum esse*. Audiamus qvid velit CONC. TRID. Apud  
**CHEMNITIUM** fol. 384. verba ita fluunt: *Nullus itaque*  
*dubitandi locus relinquitur, quin omnes CHRISTI fideles, pro more*  
*in catholica ecclesia semper recepto, latræ cultum, qui vero DEO*  
*debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant.*  
*Neg, enim ideo minus est adorandum, quod fuerit à Domino, ut sumatur,*  
*institutum. Nam illum eundem DEUM præsentem in eo adesse*  
*credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum*  
*dicit: Et adorent eum omnes Angeli DEI; quem magi procis-  
dentes adoraverunt, quem deniq; in Galilea ab Apostolis adoratum  
fuisse, Scriptura testatur. Et Can. 6. inquit: Si quis dixerit,*  
*in sancto eucharistiae sacramento CHRISTUM, unigenitum*  
*DEI filium, non esse cultu latræ etiam externo adorandum, atq;*  
*ideo nec festiva peculiari celebritate (in Festo corporis*  
**CHRISTI**,) *venerandum, neque in processionibus, secundum*  
*laudabilem & universalem ecclesiæ sanctæ ritum & consuetu-  
dinem, solenniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur,*  
*populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema-*  
*sit. Non hoc saltem vult Concil. Trid. CHRISTUM in usu*  
*eucharistiae à piis convivis adorandum esse. Id certe*  
*orthodoxorum nemo negat: Qui potius ex Job. V. 23.*  
*sciimus,*

scimus, CHRISTUM, DEUM & hominem, in actione. Cœnæ vere & substantialiter præsentem, qvoad huma-  
nam & divinam naturam in spiritu & veritate ado-  
randum esse, qvod eleganter explicat CHEMNITIUS fol.  
385. 387. Hoc itaqve non est, qvod Pontificiis objici-  
tur, sed aliud qvid, sub verbis ambiguis Concilii latens,  
nempe, qvod statuant, *cultum bunc religiosum non tan-  
tum ad personam CHRISTI, sed ad ipsa etiam symbola diri-  
gendum esse, & ad symbola terminari.* Hoc intelligit cate-  
chismus, qvando dicit, Pontificios statuere, CHRISTUM  
sub speciebus panis & vini adorandum esse. Et hoc vere vult  
Concil. Trid. Dicit enim, *Sanctissimo Sacramento latræ  
cultum, qvi vero DEO debetur, exhibendum esse, & illi qvi-  
dem Sacramento, qvod fuit à Domino, ut sumatur, institutum.*  
Jam vero sanctissimum Sacramentum constat ex ma-  
teria terrena & cœlesti. Utraqve ergo adoranda est.  
Ipsa qvoqve symbola, panis & vinum, ut sumantur, à  
CHRISTO instituta sunt. Ergo ea ipsa qvoqve ado-  
randa sunt. Diserte BELLARMINUS, *Cultu, inquit, latræ  
per se & proprie CHRISTUS est adorandus. Eaqve adoratio ad  
symbola etiam panis & vini pertinet, qvatenus apprehenduntur  
ut qvid unum cum CHRISTO, qvem continent, apud SCHERZE-  
RUM l.c. pag. 567. Confirmat hæc ipsum Missale Romanum.*  
Hoc enim vel decies injungit sacerdoti, ut statim, pro-  
latis verbis H. E. C. M. & H. E. S. M. hostiam consecratam,  
sanguinem, calicem, sacramentum (his enim verbis utitur,)  
non ipse tantum genuflexus adoret, sed populo qvoq  
ostendat adoranda. Porro vult, ut in recitatione Orat.  
domin. sacerdos, caput *Sacramento inclinans, incipiat  
Pater noster, deinde vero stans, oculis ad sacramentum intentis,*  
*prosegyatur usqye ad finem. Ulterius mandat, ut stans*

G 2.

junctis

junctis manibus ante pectus, capite inclinato versus *Sacramentum*, dicat intelligibili voce: *Agnus DEI, qvi tollis peccata mundi, miserere nobis.* *Agnus DEI, qvi tollis peccata mundi, miserere nobis.* *Agnus DEI, qvi tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Denique & hoc vult, ut manibus junctis super altare positis, oculisque ad sacramentum intentis, inclinatus dicat secreto: *Domine JESU CHRISTE, qvi dixisti Apostolis tuis, Pacem relinquo vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare & coadunare digneris.* *Qui vivis & regnas DEUS per omnia secula seculorum. Amen.* Videmus ex hactenus adductis, Pontificios vere statuere, CHRISTUM corporaliter sub specie panis & vini, destruxta nempe eorundem substantia, adesse, eumque ita religioso cultu adorandum esse sub speciebus panis & vini, ut ad ipsa quocumque symbola hic cultus dirigatur. Imo, hæc in ipsa Missæ celebratione fieri, ea, quæ ex Missali attulimus, abunde declarant. Judicet jam pius quisque, an non recte inde colligat Catechismus, *Missam esse execrabilem idolatriam.* Satis evidens est argum. Quia actione honor soli DEO summo proprius creaturæ exhibetur, illa recte dicitur & est execrabilis idolatria. Atque actione Missæ &c. Ergo. Major per se clara est. Minor ex hactenus dictis constat. Symbola eucharistica sunt creaturæ. Honorem summo DEO proprium intelligunt Pontificii per adorationem & cultum latræ. Honor soli DEO proprius est invocatio per *Orationem Dominicam*, per precationem, *Agnus DEI, qvi tollis &c.* & per ultimam illam, *Domine JESU CHRISTE &c.* Atque hunc symbolis exhiberi volunt & actu exhibent, quod clarissima Conc. Trid. & Missalis Romani verba adducta docent. Sed ecce aliam idolatriam in Missa, quam sequenti argumento



mento ostendemus. Quia actione honor, soli CHRISTO  
 Θεονθρόνῳ competens, creaturæ exhibetur, illa recte  
 dicitur & est execrabilis idolatria. Atqui actione  
 Missæ &c. Ergo. Major iterum sua luce radiat. Minorem  
 ita probo. Implorare alicujus patrocinium, ut ipse pro  
 nobis intercedere dignetur in cœlis, ut meritis & precib⁹  
 suis nobis impetraret in omnib⁹ divinæ protectionis auxi-  
 lium, est honor soli CHRISTO Θεονθρόνῳ competens,  
 juxta i. Tim. II. 5. Ebr. IV. 15. 16. nulli creaturæ Iesa. LXIV. 16.  
 Atqui hunc honorem Pontificii actione Missæ exhibent  
 Sanctis. Ita enim CONC. TRID. apud CHEMNITIUM fol. 488.  
 de Missis in honorem sanctorum, inquit: *Et quāmvis in honorem*  
 & memoriam sanctorum nonnullas interdum missas ecclesia cele-  
 brare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed  
 DEO soli, qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet:  
*Offero tibi sacrificium Petre vel Paule;* sed DEO de illorum victo-  
 riis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis  
 intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.  
 Et Canone 5. Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare  
 in honorem sanctorum, & pro illorum intercessione apud DEUM  
 obtinenda, sicut ecclesia intendit, anathema sit. Sed in ipso Canone  
 Missæ orat sacerdos, ut DEUS meritis & precibus sanctorum  
 concedat, ut in omnibus divinæ protectionis auxilio muniamur,  
 apud CHEMNITIUM, fol. 488. Quando itaque dicunt, in  
 actione Missæ implorari patrocinium sanctorum, ut pro  
 nobis intercedant, & DEUS in Missa rogatur, ut meritis &  
 precibus sanctorum concedat &c. nonne sensus est Conci-  
 lii, Sanctorum patrocinium implorari, ut merita sua  
 DEO offerant, & propter ea precibus à DEO conten-  
 dant, ut in omnibus divinæ protectionis auxilio muni-  
 amur. In Missali Romano alia adhuc precationis formula  
 facer-



sacerdoti recitanda injuncta est : *Oramus te Domine PER MERITA SANCTORUM TUORUM, (osculatur altare in medio) quorum reliquiae hic sunt, & omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.* Qvis non videt, Pontificios actione Missæ honorem, soli CHRISTO Θεον δοκει competentem, creaturis tribuere ? Ergone vero iterum Missa est execrabilis idololatria ? Plura hoc de arguento dabunt CHEMNITIUS & SCHERZERUS ll. cc. DORSCHEUS in *Mysaria Missæ*, HEILBRUNNERUS in *Uncatholischen Pabstithum* / art. 8. c. 6. ejusq[ue] hyperaspistes ZEÄMANNUS, J. F. BULDEUS in *Syntagma. Dissertatt. Theolog. n. 1.* & deniq[ue] ex Reformatis PHIL. MORNÆUS integro libro de *Missa*, qvo, judice SCHERZERO in *Syst. pag. 416.* nihil in hoc genere accuratius est.

## §. VI.

Atque hæc sunt, qvæ ad *Qvest. 80. Catechismi Palatini* commentarii placuit. Vidimus bona mixta malis. Neutrūm vero meretur tam immane odium, qvo Pontificii Palatini catechismum persequuntur. Qvæ bona sunt, vel ideo recipienda erant, qvia ex Scriptura sunt de prompta. Qvæ mala sunt, vel saltem Pontificiis talia esse videntur, non ferro aut igne, aliove externæ violentiæ genere, sed calamo & argumentis ex Scriptura erant profliganda : cæterum, qvoad externam professionem, in Palatinatu toleranda. Hoc jubent leges pacis, & CHRISTUS Salvator ipse *Matth. XIII. 30.*  
& praxis Apostolica 2. *Cor. X. 4.* & ipsa sana ratio, *Matth. VII. 12.*

## S. D. G.

cos ):( o ):( so

